debent, non ſoli, qui in Wirtenbergica veſtra domo prælucent, (quamvis vel illi ſufficere, in virtutibus omnibus proficere volenti, quirent) Sed etiam in aliis ſtirpibus, quibus animam debetis & ſpiritum; ex quibus deſcenditis, & in quibus ante alios vobis vindicare poteſtis partem, tanquam non indolis tantum generoſæ, quam ab illis traxiſtis, atque titulorum, ſed & exemplorum heredes præcipui. Si enim illos quoque expungatis è libello, quibuscum communem ſanguinem non habetis (qui opidò pauci erunt, ſi tamen aliqui) non eſt, quod de numero reliquorum conqueramini; etiamſi ad illos tantum reſtringere ſit animus, à quibus paternum maternumve ſanguinem trahitis. Capiemus rei exemplum; Quot illuſtria virtutum omnium documenta in eo ſolum diagrammate obſervabimus, quo more Germaniæ familiari veſtros ex utroque latere ſedecim progenitores ſub finem præfationis conſignamus? Si pietatis exempla in his deſideremus, en heroës illos ſuperioris ſæculi, veritatisque, dum tempus eſſet periculoſiſſimum, in Comitiis Auguſtanis confeſſores imperterritos, Georgium M. Brandenburgicum, Erneſtum D. Brunſvico-Lunæburgicum, Philippum Landgravium Haſſiæ